LONDINI

RENASCENTIS

IMAGO POETICA.

Ad

Sereniſſimum Britanniarum

MONARCHAM

Carolum II.

LONDINI

Excudebat *A. M.* pro *SA: GELLIBRAND*, 1668.



UMI

LONDINI renascentis *Imago*

POETICA

Ad Serenissimum Britanniarum *Monarcham*

CAROLUM II.

IDem *Ego* qui *subitus* **LONDINI** e funere *Vates*
Exilui; tactusque pari *fervore*, cadentis
Exequias cecini; qui *sparsis* strage *ruinis*
Condolui, & fotos gremio lacrymabilis *Urnæ*
Calfeci cineres; meritis qui denique *pœnis*
Immanem *Authorum Satyra* mordace furorem
Devovi; nunc, lata novæ *primordia* cantu
Urbis ovans *celebro*, & tantis *fausta ominor* Ausis.
O si *Threicejs* mihi ducere Carmina *nervis*,
Aut *Tyrio* numeros vocales fundere *Plectro*,
Fas foret. *Hercynias* trepidante cacumine *Sylvas*
Ad tua **LONDINUM** concirem mœnia Cantu.

Ultro Alpina *Abies*, ultro Berecynthia *Pinus*
Argutam ſequerere *Chelyn*; convulſaque tota
Dodones ageres radice tripudia *Quercus*.
Et nulla cædente *manu*, ceſſante *dolabra*,
Ad ſua formarent ſeſe conſortia *ligna*.
Linqueret *auritus* planta juga acuta ſequaci
Mox *Lapis*, & tremulo *nutarent* vertice *Rupes*.
Tota fores exhauſta *Paros*; ſubſidere celſi
Geſtirent, omni *ſeductlo marmore*, montes.
Inque aptos mox ſponte locos *quadrata* venirent
Saxa, & grata ſuis præberent *otia* Fabris.
Quæ, quoniam *nobis* tenuis non præſtat arundo;
Æquum humeris tentamus Onus, ne forte gravata
Abnuat, aut nimio ſubſidat pondere cervix:
Plaudere contenti *cœptis*, &, amica precantes,
Poſcere *opem cœli* votis, *hominumque labores*.
Sic turgente canit *Mavortia Claſſica* bucca,
Belligeras rauco dum provocat ære cohortes,
Imbellis Tubicen, flatuq; exaſperat enſes.
Extremum hunc Vati, (*Cæſar*) concede *laborem*:
Namq; *iiſdem* aggredienda mihi *molimina tanta*
Auſpicijs, *Urbs* ipſa *caput* quibus exerit *Urna*
Turriferum, ſperatq; ſuis *ſuccedere Buſtis*.
Nec, ſi forte tuas *rumor* penetravit ad aures
Ante *minora* meis inſcribi *Nomina* chartis;
Succenſe, *partes* aut dedignare *ſecundas*.
Namq; *aſpirantem* tanta ad *faſtigia* Muſam,
Par fuerat, *modico* prius exercere *volatu*,

Ne

Ne daret in præceps pavidam *vertigine* culmen.
Sic, *tener* a nido cum primum educitur Ales
Subsultim *nativa* tremens *Virgulta* pererrat;
Mox, *peregrina* petenti usu fiducia crescit,
Donec Iter liquidum, firmatus, præpete penna
Radit, & immenso sese permittit Inani.
Nec, (licet & *reliquis*, qua res satis apta monebat,
Interspersa simul *CAROLI* sint Nomina *Scriptis*,)
Versantem in *Tumili*, & olentem *Rudera* Musam,
Æquum erat *Augusti*, Titulos præferre Monarchæ:
Nunc, *Urbis* cum cœpta novæ *fundamina* surgunt,
(*Regium opus*,) tantisq; lubens congratulor *Orsis*;
Non *alia* imploranda mihi est *Tutela* canenti,
Quam sub *qua* quæcunq; cano, stant *tuta*, *favente*.
Te nuper, cum *victa* malis *Industria* cessit,
Civis &, *affirmans Prædam*, victricibus urbem
Tradiderat flammis, *Statorem* vidimus *Arma*
Urgentem, & sparsas *revocantem* ad prœlia *Dextras*:
Te post *acceptam* miserando funere *cladem*
Sensimus auxilio *Legum* sarcire ruinas
Sollicitum: Optatam *Te* restituente, videmus
Multiplici tandem stabilitam fœdere *Pacem*.
Belli ferrato clausæ stant objice Portæ;
Arma silent, dum *Jura* sonant; *Altaria* fumant;
Æquora scinduntur *rostris*, & vomere Glebæ;
Exercent *Cives commercia*, & otia Musæ.
Jamq; age, conficias cumulum, benefacta corones;
Et similem imponant apicem sperata peractis.

Rudera

Rudera ſola vacent, qua gaudent *omnia*, *Pace*,
Donec in auguſtam, *Te*, ſurgant, *Auſpice*, molem;
Et *Titulis* æquata tuis faſtigia, *Cæſar*,
Inclyta venturis tradant tua nomina ſeclis.
Sic, Tibi *primævi* cedent præconia *ſulci*,
Priſcaq; obumbrabis merito bene facta *recenti*,
Subverſam *melior* renovas dum *Conditor* Urbem.
Tuq; *Sator Rerum*, quem *Verbo* & *Flamine* conſtat
Omniferum impregnaſſe Nihil; vacuumq; profundum
Informi impleviſſe *Chao*; dein *ſemina amica*
Pacificis junxiſſe *Toris*; queis *Bella* placebant,
Diſſociaſſe *locis*; Ex quo diſtincta nitebat,
Et meruit *moles* ornati nomina *Mundi*:
Quoq; jubente *Regis* reſoluta *cadavera*, firmi
Credimus in *veteres* iterum reparanda *figuras*;
Priſtinaq; unanimi coitura in *corpora* motu,
Adverſis medio Orbe plagis diſtantia *Membra*
Et ſua poſt longi memores *divortia* ſæculi,
Reſtauraturas genialia fœdera *Mentes*:
Supplicibus faveas. Neq; enim *minuentia Numen*
Auxilia orantes, ſacris advolvimur Aris:
Congener his, *Te* poſcit *Opus*; Virtute probata
Adſis, & *ſimili ſimilem* Te accinge *Labori*.
En *Urbis Cumulum* deformem! En *Buſta*, *Rogoſq*;!
En *Oſſa*, & *Cineres*! Aptum conſcende *Theatrum*,
Præteriti documenta adhibe, faciantq; *futuri*
Certam *viſa* Fidem. Tanta ſurgente Ruina,
In Monſtris Atheus cenſebitur: ardua *credi*,

Aſſeret

Asseret *Exemplum*; & *fieri* quæ posse *negarunt*.
Posse *dabunt*, qui facta vident *cognata negatis*
Dicite Io, Musæ! *Sterili* tabescere voto
Non sinit orantem, nec *surdas* objicit aures
Numen; habent quæsita preces: En littora tangit
Puppis, & optatas referunt mea Carbasa merces.
Sensimus: Ex *Adyto* tandem Responsa *recluso*
Non ingrata sonant, *Speratæ surgite Turres*.
Salve, festa Dies, fastisq; aurata refulge
Perpetuis, in qua Augustæ fundamina Bursæ
Cæsareæ posuere manus; Trullamq; tenente
Sceptrigero, intrita coierunt Marmora calce.
Tuq; Lapis, CAROLO haud frustra ponente superbus,
Usq; inscripta geras tanti præconia Facti:
Exemplo jam fervet *opus*; præeunte *Monarchâ*,
Est cessare *scelus*. Propriis *Ars* quælibet *Armis*
Constrepit & mistis resonat clangoribus æther.
Dente *Ligo* cumulos minuit, *Palæq;* ministrat.
Rudera distinguit confusa foramine Cribrum.
Stridet *Lima*. Calet numeroso ferreus ictu
Malleus, obtusæ renovantur *cote secures*.
Robur edax findit repetitio vulnere *Serra*.
Abradit *Runcina* dolati segmina ligni.
Et morsu *Terebræ* fodiuntur Tigna gementis.
Ignitusq; *Chalybs* alienas verbere formas
Induit, & liquidis perfusus *sibilat* undis.
Et quæ *Mechanicas* celebrant miracula Musas,
Adsunt cuncta *Operi*: Queis clares magne *Vitruvi*;

Quæque

Quæque *Syracoſio* deſcripſit *pulvere* mirus
Arte *Senex*, dignuſq; ſuo ſupereſſe labori,
Qui cecidit lævo confoſſus pectora ferro,
Et doctas *proprio* confudit *ſanguine* formas.
Hinc, qua deciduo minitantes vertice pendent,
Implicito obliquos miſcens *ſinuamine* nexus,
Cochlea ſemirutas *contorta* ſtatuminat ædes.
Inde, volubilibus verſati funibus *Orbes*,
Ardua *ſuſpenſas* ducunt ad culmina *moles*.
Tu quoq; *inæquales* non fruſtra imitate *ſtateras*,
Immenſum relevas leviori pondere *Tollo*.
Et verſatilibus ſuffulta utrinq; *cylindris*,
Grandia propellunt impacti Robora *Vectis*.
Dumq; *humeris* urgetur onus *manibuſq;* moleſtum,
Unanimi regitur connixa Celeuſmate virtus.
Ne ve novas confuſa ſerant *Confinia* lites,
Ambigui docto dirimuntur Judice *Fines*.
En! novus antiqua regnat *Metator* in Urbe,
Publica & *infoſſo* conſignat *Limite* Jura,
Deinde cavet, *paribus* ſurgant ut *frontibus* ædes,
Et *faciem* exhibeant qualem *decet* eſſe *ſororum*.
Parjetibus dat *Norma* modum; replentur hiatus;
Et gibboſa operi deterget tubera *Amuſſis*.
O *dulces ſtrepitus*! *Incantans muſica*! cunctis
Anteferenda ſonis: præ qua modulamina ſtrident
Biſtoniæ concinna *Lyræ*; nec tanta dolores
Solatur, mulcetq; animos, curaſq; relaxat,
Auratam Phœbo *cytharam* pulſante voluptas;

Quantum

Quantam dat miſtæ *diſcors concordia* Turbæ,
Dum *varius* ſocias exercet *Conditor* Artes:
Cordaq; diſcuſſo fiunt mærore ſerena,
Nupera queis triſtes merſerunt funera mentes.
Nec mirum. meliore ſono nam *Tecta reſurgunt*,
Quam quem *lapſa* dabant; ſtrepituſq; benignior audi
Condentum Civis, quam quos reſonantia planctu
Pectora, et *everſæ patriæ* fecere *fragores*.
Nec ceſſatur *Agris*. Penetrantur *viſcera Terræ*,
Ingenteſq; *ſpecus* camerata *rupe* dehiſcunt.
Miranturq; novis *æterna ſilentia* rumpi
Vocibus; & trepidant *immiſſo ſidere* Manes.
Sede evulſa ſua quadrantur *Saxa noviſq;*
Conjugijs aptanda, gravant ſtridentia plauſtra.
Duraq; nativa ſpoliantur *Marmora* cruſta,
Ut prius ignotas capiant imitamine formas.
Nec non vicini nudantur *ceſpite* campi.
Egeriturq; *lutum*, quod *carpto ſtramine* miſtum,
Solari *exiccant* radio; mox concipit Ignes
Fictilis, & rapidis duratur *Lamina furnis*.
Non hanc impulſi minuunt Aquilonibus *imbres*,
Nec conſtipato labefactat frigore *bruma*,
Nec poterunt æſtu crepitantes ſolvere *flammæ*:
Sed *ſilices* longa & *marmor* ſuperante ſenecta,
Temporis abſumit tritos aſpredine *dentes*.
Taliter *æternam* coxiſſe *Semiramis Urbem*
Fertur & *incenſis* vetuiſſe incendia *Muris*.
Et *ſylvis* detractus Honos *Impervia Thebo*

Visibus humanis retegunt querceta secures,
Horrendas senio nitidum *Jubar* explicat *Umbras*:
Lucus & *admissæ* jam debet *Nomina Luci*.
Intonsis veneranda comis sternuntur ubique
Robora subjectas sulcantia verbere glebas.
Quin et, sæva jugis *geminantur vulnera*, & omni
[*Urbs reparanda*,] sonat plaga *reparabilis Echo*.
Subruta *torquatæ* plorant sua tecta *Palumbes*:
Celatosq; gemit vulgari *Turtur* amores:
Pica Loquax querulo dicit *convicia* rostro,
Excutienda gemens laqueatis pignora *Tectis*:
Atq; exuta suis *Cornix* strepit improba *castris*
Auritos produnt *Lepores* umbracula nota;
Nec tuta alipedi sua sunt habitacula *Cervo*;
Et timidæ fugiunt detecta cubilia *Damæ*:
Prædaq; sylvarum vallo indefensa recisо,
In campis *catulo nasuto* cedit apertis:
Agnoscitq; *sciens* vix jam juga tonsa *viator*
Sed stupet *abrasos* subito *calvescere montes*.
Nec non materiam *Fabris* dant *extera Regna*.
Dulcia odoratæ *Libanus* fert munera *cedri*;
Incoctum advehitur *Chalybum* fornace *metallum*
Cimbrica progenies, *Abiegnus* ducitur *Aßer*;
Splendidum *Ebur*, tristemq; *Ebenum* (pugnantia dona)
Indus; & (Idmoniæ quæ fertur inhospita Telæ)
Enodem ratibus transmittit *Hiberna quercum*.
Quin & *diversis* veniunt excisa *fodinis*
Marmora, nativo pariter variata colore.

Puras

Puras illa; *nives*, & cygni æquantia *plumas*,
Ista *picem*, & *nigros* quos fundit sepia, *succos*.
Sunt quoq; *sanguineas* radijs imitantia *venas*,
Et quibus (ut varijs cum *cælum* pingitur *Astris*)
Permista *albentes* distinguunt cærula *guttæ*.
Quæq; *Medusæo* creduntur *sanguine* tincta,
Congrua multicolor queis fecit nomina *Serpens*.
Quid, quod & *Augustæ* redivivæ surgit *Imago*
Littore in *externo*? Ligno compactile Lignum
Aptat ad Exemplar *peregrini* Ars sedula *Fabri*;
Divulsasq; iterum ratibus confundit onustis,
Firmius in *proprijs* statuendas *sedibus* ædes.
Classibus advehitur *Londinum*. Verbere fervet
Æquor, & adductis pulsantur pectora remis.
Velaq; *turriferis* implet dum flatibus *Furus*,
Nupera *nutritæ* redimit dispendia flammæ.
Angliaq; *adnantem* miratur *portubus Urbem*,
Et *consutilibus* sterni sua littora *Vicis*.
Sic, cum *Latonæ* parienti *Terra* negaret
Tota Locum, *Delon* fertur *Neptunus* in undis
Instabilem admovisse, gravis quæ pondera ventris
Susciperet, *geminisq*; daret cunabula *Divis*.
Sic, (nisi vana crepant) *Galilæis* advena ab oris
Ad *Lauretanæ* quondam confinia *villæ*
Christiparæ erravit *Thalamus*, numerosior unde
Ad *peregrinantes* Peregrinus convolat *Aras*.
Excitusq; *novo strepitu*, caput extulit imis
Fluctibus, & cilia *ambusto* deformia *musco*

Fluviorum Dominus *Thamisis* recolensq; *calores*
Perceptos quorum vix-dum *desederat horror*,
Anxia *contiguis* admovit lumina *ripis*.
Utq; novas vidit surgentes littore moles,
Obstupuit, volvensq; oculos, *reptantis* ab *Urna*
Quælibet *Urbis* obit læto spectacula vultu;
"Et tua, quis, *dixit*, miseratus rudera, amicam
"Desuper extendit dextram, auxilioq; jacentem
"Erexit *Superum*? Cœlesti munere certe,
"Sic rediviva nites. Dat Fabula nota *duobus*
"Laomedonteæ *Divis* fundamina *Trojæ*
"Et substracta refert magnis stipendia Fabris:
"*Cecropias* fundasse *Arces Tritonia* Virgo
"Fertur, et *enata* sacrasse cacumina *Oliva*:
"*Utraq;* at *Urbs tibi* si fuerit collata *renatæ*,
"*Artifices* possit *Divos* mentita videri.
"Non, quæ *cantatis* coierunt culmina *faxis*;
"*Sidonis* aut *corio* quæ cinxit mœnia *secto*;
"Non, quæ *Tarpejo* quondam vibrata *Tonanti*;
"Nunc *Vaticanis* Urbs torquet fulmina *pinnis*;
"Non, quæ magnificæ *septenis* æmula *Romæ*
"*Collibus* assurgens, olim contenta dedisse
"*Diviso* Dominos, nunc *totum* vendicat *Orbem*;
"Nec, quæ *Sequanicis* animosa *Lutetia* turget
"*Pluctibus*, & domito minitatur vincula *Rheno*;
"Nec, sese æquoreis quæ contemplatur in undis,
"Et stupet *Adriaco* reflexum gurgite *Marcum*;
"Nec, quæcunq; crepat *Latialis* cætera fastus

"*Culmina*

“ *Culmina*; (ſeu, vernos quæ præfert nomine *Flores*,
“ Dicitur & *feſtis* tantum *ſpectanda diebus*,
“ Quam ripa præceps *Arnus* miratur utraq;
“ Seu, quondam *Ambroſij* cæleſti *Nectare* paſta,
“ Ad rapidas *Atheſis* quam condidit *Inſuber* undas;
“ Seu, nova vicini *ructus* pertæſa *Veſevi*
“ *Parthenope*, *Hiſpanoſq*; magis partæſa *tumores*)
“ *Equali* tecum certabunt *Judice*. Tantum
“ Anteferenda alijs tolles faſtigia, quantum
“ Traſcendit tenues *quercus* procera *geniſtas*.
“ Quin agite, O *famulæ*, totos effundite *Fontes*
“ *Naiades*; Et pleno fluvius protuberet alveo
“ Spumeus, & tumidæ vada condant vitrea lymphæ
“ Ut pateat facilis *ratibus* per cærula curſus,
“ Et lætas *Nautæ* jactent ad littora voces.
“ Remulcis (en!) unda latet · *gemit* omne ſubactum
“ *Ponderibus*, tantoq; *oneri* vix ſufficit *æquor*.
“ Hinc, effoſſa natant ratibus candentia *montis*
“ *Viſcera*, quæ *cretæ* mutabunt nomina *calce*;
“ Inde *Lapis* prono quadratus labitur amne
“ Multus, et *obſequio* ferri lætatur *aquarum*
“ *Belloſito* vicinus Ager quem fundit ab imis
“ Speluncis; quo celſa nitent *habitacula Muſis*.
“ Et *Bodleianum* celebrantia culmina *Nomen*;
“ Et (quo *Romanæ* ſuperatur gloria *Pompæ*)
“ *Proſule magnificum* ſurgens *condente*, *Theatrum*.
“ Dat quoq; *Durotrigum* quæ fractis fertilis *Oris*
“ Objacet, & *longa* lambit confinia *lingua*,

“ *Inſula*

" *Insula*, Dalmatico certantia Marmore saxa,
" Quæ refluo Nereus adpellit portubus æstu.
" Sternuntur *trabibus* ripæ. Descendit in undas
" Omne *Nemus*: nostro, vix *tutæ* in margine glaucæ
" Stant *Salices* raraq; fricat se *Mullus* in *umbra*;
" *Pauca* susurranti jam *Sylva* admurmurat undæ,
" Aut *tremulo* pingit crispatos *lumine* fluctus.
" Sed neq; *conquerimur*. Modo quæ mihi deficit *Arbor*,
" *Londino poscente*, cadat. Sævite *bipennes*,
" Pandite *saltus*, sternite *lucos*, radite *montes*:
" Pro *merito* jam *crimen* erit. Nos, *nulla* ruina,
" *Hac* surgente gravat. *Dicenti talia*, vocem
Obruit, exortus riparum in margine clamor
" *Nauticus*, & lætis tonuerunt Ignibus *Arces*
Pinifera proras torquente ad littora *Classe*:
Et *cava* reddebant repetitas *rudera* voces
Auditis: *fluidoq*; simul plaudente *Theatro*,
Conticuit; gaudensq; *suis* caput abdidit *Antris*.
Interea, notos replent *Examina* vicos,
Conducunt *operas*; pretio precibusq; labores
Accelerant; *Dominiq*; oculis, manibusq; *ministri*,
Festinatur *Opus votoq*; citatius ipso
Exurgunt *ædes*, & spem solertia vincit
" Sic, ubi *florilegæ Genti* nova *castra* parantur,
Munera *divisim* peragunt. Pars, aspera dente
Purgat, et erosas extra pomœria micas
Projicit; *his*, *vicos* statuunt, *sexangula Tecta*
Disponunt Procerumq; *Aulas* plebisq; *Tabernas*

It *vaga* per campos *Legio*, *viſcoſaq;* paſſim
Fruſta legunt alacres, & lenti *glutinis* offas,
Fundamenta operi: *reduces* pars altera plauſu
Excipit, & tepida *roratam* aſpergine *maſſam*
Contrectando domat; ſolerti deniq; lingua
Ductilis in tenues formatur *bractea* cellas.
Myrmidonumq; pari ferveſcit *gleba* tumultu,
Sive petant cæ.is deſerta cubilia *Talpis*;
Aut carioſa cavant *annoſæ* viſcera *quercus*;
Ut nova *communi* ſtatuant fundamina *Villæ*.
Hinc, *metante* frequens tranſcurritur area *planta*:
Inde, *pavimentum* multo *verrente* niteſcit:
Hi, *paleas ſtipulaſq;* legunt, oneriq; moleſto
Supponunt humeros, (*haſtas* diſperſa putares,
Agmina, ab *adverſa fractas* referentia *pugna*:)
Pars, inſtare operis: *Pars*, cæſas dente cavernis
Straminеas aptare *trabes*, & *fulcra* locatis
Subdere, & *impactas* denſo firmare *decuſſi*:
Donec inæqualem faciente cacumine *conum*,
Pyramis excutiat rapidis *perflatilis* Imbres.
Pergite felices; Patriæ *veſtite ruinas*,
Squalenteſq; Rogis, *Cives*, ornate *Penates*.
Fœcundiq; novos ex ipſo funere muros
Parturiant *cineres*: *pubeſcant* mœnia *letho*.
Ut quibus inſedit reflexa *prioris* Imago
LONDINI, non *priſca* minus *veſtigia* quærant,
Quam *veteres*, auctis opibus, quis quærit *amicos*.
Dumq; viæ *ignarus* per compita *nota vagatur*,

Incola

Incola mutata fiat *peregrinus* in Urbe.
Ipſa etiam uſq; adeo in *melius* potuiſſe *renaſci*,
Vix credat licuiſſe ſibi, dum *nubila* calcans,
Ardua *vicinis* faſtigia conſerit *Aſtris*.
Sic, poſtquam ardentes *Senonum* perpeſſa furores,
(Cum licitata *auro Tarpeja* redemerat *exul*
Culmina, & injuſta trutinatum lance Tonantem,
Triſtibus emerſit Tumulis *Urbs* alta *Quirini*;
Immenſum prælata *ſibi* eſt. *Squalentibus* ante
Quæ fuit interſperſa *caſis* infamis *Aſyli*
Reliquijs; quæ (*Paſtorum* referentia *ſedes*,)
Contigua erubuit *modicis* habitacula *Templis*;
Et *dictatorem* non aſpernantia *arantem*,
Ipſo ſparſa *Foro* cognata *mapalia* villis:
Forte & *Stramineis tectis* adoperta videbat
Antiqui *Delubra Numæ*, ficulnaq; ab *Aris*
Numina quæq; ſuis *Ignes* metuentia *Fanis*;
Quæq; *focos fovit*, ſimul et *cohibere perennes*,
Sollicitam: *ſolas periſſe* in Funere *rugas*
Senſit ut in *viridem* redijt renovata *Juventam*.
Romaq; ut auguſto tandem *ſplendore* niteret,
Gallorum fecere *faces*. Pro *ceſpite Marmor*
Succeſſit; fulvum radiavit in Arcibus *Aurum*,
Ipſaq; *fulgenti* ceſſerunt aſtra *metallo*:
Et *ſolo* meruit *formæ* certamine *victo*
Digna recognoſci, quæ fræna imponeret *Orbi*.
Præ reliquis tamen hæc *rediviva* gloria *Romæ*
Carmine digna *meo* eſt, *veſtroq*; *invitamine* digna,

Si qui *firma* novis cupitis fundamina tectis.
Fumoſos non *illa Lares* contenta, renata, eſt
Privatis coluiſſe *focis*, cumq; *atria* Cedro
Quiſq; *ſua* induerat, congeſto *ceſpite* Numen
Ilignum venerari, & *thura* adolere *tigillis*:
Sed *propijs* ſtatuente Fabro fundamina *cellis*,
Divorum par *cura* fuit. Mox *aureus* Arce
Jupiter intonuit: vibravit *Cynthius* Ignes,
Nativum fulgore *jubar* vincente *Metallo*:
Congeneres torſit radios *Argentea Phœbe*:
Candvit & ſolido ſecura in marmore *Veſta*:
Flava Ceres *pretio* facta eſt: *Saturnus* acervis
Incubuit: Cælo cognata Palatia *Juno*
Incoluit: nituit *gemmata* Gorgone *Pallas*:
Addidit & *Veneri* veſtis pretioſa decorem:
Ignivomiſq; Pater *Gradivus* inhorruit armis:
Dignus & Imperio fulſit florente *Quirinus*.
Nempe *novo* ſcelus *excidio* duxere piandum,
Numina privatos ſumptu ſuperare *Penates*,
Et ſolos *ſplendente* Deos *ſordeſcere* in *Vrbe*.
Quin & *Portentis* auguſta cacumina *Memphis*
Ipſa dedit. Tectis ubi nidificavit eburnis
Ibis; & illuſtri ſacrata eſt *ſimia* Templo:
Torvus & immenſa mugivit *Oſiris* in Ædc:
Cui ſimili cornuta remugijt *Inachis* Aula.
Diſpare quin *cauſa* nos provocat *æmulus Ardor*!
Incaſſum noſtris certe radiavit in oris
Lucifer, et tenebras diſcuſſit lumine opacas

Cœlo exorta Dies; ſi *ludicra* Numina *Verum*
umptibus *exuperent* & *magnificentius* ipſo
Naturæ Domino *latrans* habitabit *Anubis*;
Ipſaq; *non ficti* ſint Templa minora *Tonantis*.
Nemo ſuas *ſacro* obducat velamine *ſordes*;
Et *puri* hoſpitium *cordis*, ſanctoſq; receſſus
Devotæ mentis, noxaq; & fraude carentis,
Plus regerat, placuiſſe *remotæ* a corpore *Menti*,
Quam *celſa* externa ſacrata *cacumina* Pompa.
Conſtat enim, *hæc* placuiſſe tamen. Nec *parva recuſat*
Dona Deus, nec magna rogat; pariterq; remotus.
Pauperie et *faſtu*, metitur cuncta *decoro*,
Non pretio: oblatoq; ſciens ex *munere Mentem*
Æſtimat, & *danti data* lance reponit eadem.
Diſplicet & certe (*parcæ* Pietatis Aſylum)
Cultus *ſimplicitas* animo prætenſa *tenaci*:
Dum vilis tiguri *ſtabulatur* tegmine *Numen*,
Sordidaq; *extenſo* peraguntnr ſacra *cadurco*.
Veſtra etiam haud dubie cum tanta *impendia*, Cives
Oſtentant nimioq; nitent *habitacula* ſumptu:
Veſtra etiam *intererit*, non ſpreto Numine, *rurſus*,
Quas ſenſiſſe *ſemel* ſatis eſt, arceſſere *flammas*.
Non modico *contempta* luuntur *ſacra* peri'clo:
Nec *ſqualent* impune *Aræ*. Par culpa *neganti* eſt,
Indigne accepiſſe Deum; *tenuiq*; *ſacello*
Molibus inſanis juſtum feciſſe *pudorem*.
Deniq;, (queis toties *ſpiſſa ignorantia* veri
Objicitur,) mentes tandem deſpecta Parentum

Extimulet

Extimulet *Pietas*. Has *illa* nepotibus Ædes
Condidit; et dubio *devota* in lumine *Corda*
Exhibuit. Pudeat majorem a *Sole coruſco*
Eſſe *Umbram*, et plenam viciſſe *crepuſcula* Lucem.
Te vero, imprimis, quæ *PAULI* nomina præfers,
(Si quid Muſa valet,) quondam venerabilis *Ædes*,
Reſtitui cupimus. Sive hæc tibi gloria reſtat
CAROLE, qua *Titulos* pietas tua vincat *Avitos*:
Seu, quis *Mauritij* in Cathedra *Succeſſor*, honores
Æmulus æquales paribus ſibi deſtinat auſis:
Seu vos hæc tangit *venerandæ Matris Alumnos*
Religio, ut *proprijs* renovet *proventibus* ævum:
Seu res *communi* reparanda eſt publica *Cenſu*:
Munifica ſive illa *manu* faſtigia ſurgent:
Sive opus *unitis* cunctorum *ſumptibus* uni
Immenſo eſt operi: pigeat *nudata* jacere
Culmina ſacra, novæ *minitantia deſuper Urbi*.
Nec jactent tantas cum *noſtra habitacula* gazas
Objiciant *iſtæ* probra haud indigna *Ruinæ*.
Sin, ſubit immenſæ nos *deſperatio Laudis*;
Unaq; ſit vaſtis *impar* conatibus *ætas*:
Jacta tamen noſtro *fundamina* debeat ævo;
Nec *tota* ad ſeros pertingat *Fama* Nepotes,
Antiquæ Fidei Monumenta, ipſiq; *coæva*,
In ſolidum a tantis *ſolos* revocaſſe ruinis.
Vos, quibus immodicas amplexu *ſtrangulat* Arca
Divitias; & queis *tenebris* damnata *ſecundis*
Squalet *lam'na* ſitu; tereti laxate *Metallo*

Vincula, ut illuſtri *fulgorem* contrahat *uſu*.
Vos quoq; *fœcundo* qui ſemina ſpargitis *arvo*
Poſcitis & grandi *cumulatam* fœnore *ſortem* :
Credite *opes*, ubi tuta *Fides* ; ubi *Sponſor honeſtat*
Uſuras, *augetq*; ſimul. Sic, ubere gleba
Fœtificet vobis, non aucto crimine, *nummus*
Purus, obærato *facitis* dum *Nomina* Cœlo.
Et *vos*, quos ſolo *dites* facit aſpera *voto*
Paupertas, (et in his, cenſeri nemo *Poetis*
Invidet,) *Ingenio*, cœptis, *Precibuſq*; favete :
(Viribus inſtar habet *Facti* defecta *voluntas*,)
Dum *Piſcatoris* turgenti nomine *Sedi*,
Invidioſa colat *Mundi* faſtigia *Doctor*.
* Gratulor interea, *mitis* tibi commoda *Brumæ*,
(*LONDNUM*,) & *cœlo* caput exeruiſſe *ſereno*.
Teſſera *divini* certe hæc non parva *favoris*
Naſcenti conceſſa *Tibi* eſt, quod verna rigentem
Temperies *hyemem* compeſcuit. Ipſaq; *Cunis*
Indulſit *Natura* tuis, dum *tempore iniquo*,
Ante remigrantes *permulſit frigora* Soles.
Viſcera dum facilis *fodienti* Terra *recludit* ;
Nec *pluvia* Boreas confundit rudera *lana* ;
Vitrea nec madida dependet *ſtiria* Trulla ;
Jacta nec *inſinuans* penetrat fundamina *cruſta*,
Nec crudus fluido paries humore labaſcit.
O *nimium Urbs dilecta Deo*, cui *fœdera Mundi*
Permiſcere datum, *rerumq*; *in vertere curſus* ;
Cui *variant Elementa vices* ; cui *mobilis Annus*,

onendus
tor, ho;
& ſe-
esali-
referen
ſe ad
us quo
um fuit
oema, ſc.
te men-
1667

In

In vetita æſtivos tranſponit tempora Menſes!
Certe, magna dabit mox incrementa *benigno*
Cœlum *Sole* tepens, cum fervidus *Axe propinquo*,
Laniger, ardenti commovit bella *Juvenco*;
Cum *Tempeſtatem* prænuncia Lumina, *Fratres*,
Æquoreo tradent rutilantem Hyperiona *Cancro*:
Cum rabida arentis ſpumabunt ora *Leonis*
Et pavidam irata terrebunt voce *Puellam*:
Talibus *effœtus* ſi germinet ædibus *annus*.
Et creſcant celebres ſub *inerti ſidere* Moles.
Scilicet, ut (patula potis radice *culullis*,
Quos *inclinata* diffudit *Aquarius Urna*,)
Cum verno *Zephyrus* laxaverit arva tepore,
Mox tenero quævis fœtu *protuberat Arbor*,
Explicat & *refluo* turgentia germina *ſucco*;
In *flores laſcivit* humus; *frondeſcere* ſylva
Incipit, & redeunt decuſſi frigore *honores*:
Sic tua *protudent* re divivos *rudera* Muros,
Urbis & ambuſto nova *culmina* ſtipite *creſcent*.
Qnæ *ſerie* conſerta ſua *conformia* longis
Compita diſtribuent *ſpatijs*, ubi nobilis *Ordo*
Tranſmittit, *retinetq*; ſimul mirantia paſſim
Lumina; nec quovis *intercipiente* retuſus
Mergitur in *vaſto* viſus deductus *Inani*.
Sic, ubi in *excultis* plantas diſponimus *Hortis*
Multifidus vario quos inſtruit ordine *Quincunx*,
Undiq; longa aciem vibrantibus area *cœlum*
Admovet extremis *ſuſpendens ſidera* ramis.

Quaque

Quaq; hærebat *Iter*, vel *flammæ major* in arcto
Sævierat *rabies*; *latebraſve* obſcura viarum
Præbuerant *ſceleri*; vel *denſa* habitacula *morbis*
Materiam dederant: *laxato limite*, magnæ
Pandentur *Plateæ*; ſpatio *commercia* creſcent;
Quaq; patet *flammis* Via, non arcebitur *Unda*;
Et *Teſtem* loca *quæq;* dabunt; & *pervius* Aer
Crebra ſalutifero propellet *funera* flatu.
Et quanquam *expanſis* cedant *enormia vicis*
Fundamenta, loco paſſim *ſummota* priori:
Non erit Urbs *minuendo minor*, dum (*littoris* inſtar,
Cui, licet hinc tumido labefiat vortice *clivus*,
Inde pari ſpatio *cubitum* vada ſicca reponunt:)
Penſant *craſſitiem* procero *vertice* tecta
Exæquata ſibi; quantumq; *abſcedere* juſſit
Terminus a *cellis*, *furantur* culmina *cælo*.
Deniq;, *præſaga* qualem concepimus *Urbem*
Mente, *oculis luſtrare* dabit (niſi gratia votis
Defuerit,) *Pater Omnipotens*: felicior unde
In *ſenium* Vates, & *canos* defluet *annos*.
Quin et, ſi tantis *natum* modo caſibus ætas
Emeritum, jam opere exacto, prædetur *acumen*,
Repat ut in *reliquo*, ſi quod ſit, *carmine* Muſa:
Natales celebraſſe *tuos* (Urbs inclyta) tanti
Æſtimat, Ingenij ut *vileſcant* damna relicti.
Tu quoq;, quem nuper Cives videre *cadentis*
Pulvere conſperſum, & late volitante *favilla*;
CAROLE, *ſurgentis* fies *Spectator* & *Auctor*.

Et

Et quæ ſera ſciet noſtris *collapſa* Diebus
Mœnia Poſteritas, pariter *meliora* videbit,
Quamq; *tuis* maculam *Faſtis* illeverit *Urbis*
Subverſa funus, delebit *fama renatæ*.
Forſitan & ſæclo quæ dicta *Auguſta* vetuſto eſt,
Vix tanti *abdomen Tituli* tunc apta tueri;
Æquius *auſpicijs* mutabit *Nomina veſtris*,
Condentiſq; memor, poſcet *CAROLINA* vocari.
Quinetiam *antiquis nova* cum faſtigia confert,
Lapſaq; præſenti penſat *diſpendia* lucro:
(*Augurio* faciente fidem *Re*,) credimus *Ipſam*,
Vel ſic Malle Mori, quam non ſic poſſe Renaſci.

FINIS.

Conflagratio Londinenſis. } *Anglo-Latina.*
Londini quod Reliquum. }

Actio in Lond. Incendiarios. } *Latina tantum.*
Londini Renaſcentis Imago. }

June 24. 1668